



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

Digressio 47. de vocum institutione, ad tex. com. 127.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

Idcirco, inquit Hippocrates in lib. de principiis, homines ubi voluerint edere magnam vocem, at trahentes spiritum externum, eum foras propellant & magnam vocem edunt, prout spiritus durat: postea verò vox contabescit. Sed & cytharædi, cum ipsos vocem intendere oportuerit, spiritum quamplurimum intro trahentes pronuntiationem extendunt & vociferantur, ac magnam vocem edunt, prout spiritus durauerit: ubi verò spiritus defecerit, desinunt. Hoc quidem multo tempore non fit, quia loquendo, & espirando aer consumitur. Sed nec diu anhelitum cohibemus, quoniam interior cordis calor refrigeratione indiget, nec diu potest sine illa consistere. Et idèdè vocem sæpè interpolare cogimur, & inter loquendum trahimus sæpè spiritum. Quòd tamen quicquid diutius interiorem aërem continebit, eò diutius vocem, & sermonem continuatum protrahet: illoque non parùm miramur, qui longam aliquam sententiam vno spiritu pronuntiauerint. Sed hi & multum aërem antea inspirant, & illum retinent, paulatimque & sensim spirant. Non. n. fieri potest, vt simul loquamur aut edamus vocem, & respiremus: quoniam hæc contrarios motus significant. Vox aut loquutio retentionem aëris & percussione ad arteriã, seu ad aërem in ipsa contentum; respiratio susceptionem & redditionem, seu transitum ab exteriori ad interius & contra.

Quæ verò postrema sunt verba, multi ita legunt (mouet enim isto retinens) & ita exponi solent ab omnibus, vt significant, retento aëre fieri vocem; quoniam eo retento mouetur is, qui est in arteria, & ita fit vox. Quæ sententia est vera, sed parùm accommodatè ex philosophi verbis collecta. Græcè enim ita habetur (κλεινὸν ἄνεμα ἐκπνεύει) quæ ita latine reddenda sunt (mouet enim hoc retinens, seu qui retinet.) Vbi pronomen (hoc) est in accusandi casu positum; vt sensus sit, retento aëre nos propterea loqui, quia eum nō statim eiicimus, sicut cùm totum simul expiramus: sed illum mouemus, hæc est allidimus & percutimus ad alterum aërem in arteria contentum, atque ad ipsam arteriam; & idèdè vocem edimus. Hunc enim retenti aëris motum voluit Aristoteles ab inspiratione, & expiratione distinguere; vt exponeret id, quod dixerat, non inspirato, aut expirato, sed retento aëre fieri vocem. Atque hoc etiam totum ad illam definitionis particulam explicandam pertinet, quæ vocem definit respirati aëris percussione: & ostendendum, aërem inspiratum non statim reddendum esse, sed retinendum; vt paulatim expiratus cum percussione reddatur.

Digestio XLVII. De institutione & significatione vocum; humanaque loquutione.

**A**uctor est Aristoteles in primo lib. de animalium historia cap. 1. ita fuisse natura comparatum, vt quædam essent animalia omnino muta, alia strepitum dumtaxat ederent, alia demum vocem quoque formarent: & in his quidem per multa vocem solam nullis litteris exprimendam darent, aliqua loqui etiam possent. Et quoniam diuinissimum hoc animalium genus est homo, cui is potissimum huiusmodi egerit voce, Platonicè proposuit Simplicius in præfatione commentariorum ad Aristotelis Categorias. Sic autem ratioci-

**A** natur. Sunt in nobis mens & anima: in mente notiones & res, quæ intelliguntur, sunt idem; sed nulli ubi vox. Anima verò, dum ad mentem conuertitur, habet & ipsa (quamuis secundo loco) notiones & res in vnum coniunctas: dum autem à mente discedit, notiones à rebus separat, & loco rerum formas sibi quædam format & notiones, quas nititur rebus accommodare, vt earum cognitionem habeat. Sed eadem anima in generationem prolapsa & obliuione repleta, aspectu indiget & auditu; vt ad eorum, quæ cognouerat, reminiscenciam excitetur. Et idèdè opus est aliquo, qui iam viderit veritatem, vt voce prodeunte à notione, quam habet, excitet in audiente notionem illam, quæ iam erat obliuione sopita; & ita alter quoque veritatem agnoscat.

**B** Multò meliùs adferre potuisset peripateticum illud in primo polit. lib. cap. 2. hominem esse civilem, aliorumque societate delectari; societatem autem & civilem conuictum sine mutua communicatione, & significatione eorum quæ mente concipimus, non posse consistere. Quæ forsasse est causa, cur ægrius multò cum exteris conuiuiamus nationibus, quarum ignoremus idioma: quoniam propter vocum diuersitatem communicatio, & consuetudo impeditur. Communicatio verò priorum esse debet, quæ aliis quoque impertiantur. Itaque animalibus cæteris, quæ solum habent incūdi & molesti sensum, ea data est vox, quæ nec significare possent. Homo habet etiã sensum iusti & iniusti, recti & prauis, honesti & turpis, veri & falsi: omniumque cognitionem per rationem, & imperium per voluntatem. Et idèdè non solum est sociale animal, sed diuinum & intelligens, res mente comprehendens, earumque notiones formans à rebus acceptas per sensus, & eas ex voluntate aliis communicans. Vnde societas existit politica inter homines à bestiarum conuictu longè diuersa: ex qua domus & ciuitates coactæ sunt, prout communicatio hæc vel inter homines solum eiusdem familiae continetur, vel etiam in tota aliqua ciuitate versatur. Sed quoniam hominis intelligentia, eiusque notiones occultæ sunt, opus fuit alio signo, quo alteri indicarentur. Hocque aliquid esse debuit, quod sub sensum caderet, quia homo sensu ad intelligendum ducitur: vt ita alter, cui sensus signum proponitur, ducatur ad percipiendam notionem, quæ inest in animo proponentis. Debit etiam esse facile, ac omnibus præsto, vt facile posset omnibus proponi. Ac demum variabile, ac commutabile, quòd infinitæ propemodum sint & diuersissimæ hominum conceptiones.

**E** Ineptissimi ad hoc fuerunt tres sensus, tactus, gustatus, odoratus, & eorum obiecta. Tactus nimis est materialis ad immateriales animi notiones explicandas: neque ea, quæ sub ipsum cadunt, vanitatem tantam admittunt, vt tam diuersæ possint explicari notiones. Quoniam tamen hoc sensu quoque comprehenduntur figuræ, quibus vt ad representandas notiones possumus; eo non parùm iuuamur: sicut Dydimum à natiuitate cæcum Rufinus Ecclesiasticæ hist. lib. 2. cap. 7. & Socrates lib. 4. cap. 20. & Theodoretus libro quarto cap. 27. alique scriptores referunt solo tactu disciplinas mathematicas didicisse, eademque arte possemus discere characteres omnes, & legere; si ea constarent materia, in qua figura quæpiam perciperetur. Gustatus autem & est tactus quidam,

MMM ij

& multò pauciora comprehendit. Porro odores in nostra potestate non sunt; quemadmodum ea esse oportet, quæ notiones nostras representare debent: ut & illis vti liceat ubi libuerit, & variis modis fingere, ac formare. Aspectus, & auditus, seu colores & soni supersunt. Colores & sunt extrinseci, nec in nostra potestate; nec flecti facile ac formari possunt. Dubius tamen modis aspectui proponuntur notiores; aut gestibus, & nutibus, quemadmodum muti faciunt, aut frugando aliquid, ut picturis, litteris, characteribus. Vtrumque autem signorum genus plurimis modis ad innumerabiles notiones exprimendas variare licet.

Quamquam litteris non significantur immediate notiones, sed voces. Et idè illis vitur ad absentes aut ad eos, ad quos voces nequeunt pervenire: ad præsentem vitur voce. Vox. n. ad significantas notiones aptissima est. Tum quia temper est nobis præsto & in nostra potestate; potestque innumerabilibus modis fingi ac formari: ad eamque formandam habemus omnia instrumenta à natura. Tum quia sonus uniuersè aptus est aliquid indicare; ut sonus campanæ, tubæ, & similibus; atque in animalibus affectiones animæ significat, ut suspiria, gemitusque dolorem; plausus manuum lætitiã. Vox igitur hominis perfecta & articulata fuerit aptissima ad notiones mentis representandas. Inde illud apud Platonicos, Per Os ingrediuntur mortalia, & egrediuntur immortalia; hoc est mētis conceptiones: & apud peripateticos; Auditus est disciplinæ sensus: quod sumptum est ex cap. i. li. de sensu & sensibili, ubi sermonem audibile, qui nominibus constat, quæ sunt rerum symbola, causam esse disciplinæ. Auditumque ad prudētiam conferre plurimum; & idè cæcos à natiuitate prudentiores esse surdis & mutis, docuit Aristoteles. Quemadmodum igitur vox est ad significandum aptissima, sic data est animalibus ad communicandum aliquid, quod intus lateret; animalibus plerisque dearticulata, ad affectiones aliquas animæ significantas; homini articulata, propter animi notionum communicationem. Quare quàm est illi propria hæc communicatio, nempe ut est animal sociale, intelligens, & politicum; tam est propria vox articulata.

Sed enim quoniam separata quoque mentes substantiæ sunt intelligentes, in quibus summa viget politia, ut Dionysius Areopagita docuit; nec tamen vocibus hisce vituntur ad conceptionum suarum communicationem; quæri merito possēt, quanam sit in illis communicatio & loquutio. Sane in his quoque loquutio est; alia tamen, quàm in nobis, verum ad hunc locum, in quo de humana voce agitur, quæ sensu auditus percipiatur, non pertinet explicare, quomodo ea perficiatur.

In absoluta verò & perfecta hominum communicatione quatuor continentur. Primum res, quæ cognoscuntur. Deinde notiones, quæ de rebus formantur. Tum voces quibus significantur notiones. Postremò litteræ seu scripta, quæ vocum seu notionum sunt signa. In quibus sunt maximè quatuor consideranda. Primum notionum communicationem duplici eguisse signo, voce & scriptis. Quia. n. vox ad præsentem duntaxat pervenire potest, statimque cum ipsa pronuntiatione interit; ut cum absētib; & posteris quoque communicatio esset, fuerit præter vocem necessaria scripta. Ad præsentem tamen voce potius, quàm scriptis, vitur; quo-

Vox, & scripta.

Angelo-  
rum lo-  
quutio.

niam promptior est, & expedita magis. Alterum; in his quatuor, quæ commemorantur, eum quoque quem præpositi, seruari ordinem. Nam notiones supponunt res ipsas, quarum notiones sunt: voces sequuntur notiones, quæ debent significare: vltima sunt scripta, quæ ob defectum & inconstantiam vocum adhibentur. quam ob causam Aristoteles initio lib. de interpretatione voces dixit esse signa eorum, quæ sunt in anima; & scripta esse signa eorum, quæ sunt in voce.

Tertium; in his quatuor esse duo, quæ significantur; res & notiones: & duo, quæ significant; voces & scripta. In quibus voces primum natura ipsa instigante fuerunt instituta, & per naturalia instrumenta formata; scripta verò planè ex arte; dum obseruatum est disfluere voces, & societatem tamen politicam communicatione cum absentibus & posteris indigere. Nec parum iuuitinnata gloriæ, & immortalitatis cupiditas.

Quartum in hoc duplici signo voces significantur notiones & res, scripta autem representare & voces & notiones & res. Fuerunt. n. in vocum quoque defectum substituta, & per naturalia instrumenta quæpiam legimus, non solum autoris conceptiones & res ipsas noscernere, quemadmodum si vocem audiremus; sed audire quoque loquentem autorem nobis videtur. Cæterum quoniam de vocibus duntaxat propositum est hoc loco agere, de illarum significatione pluribus dicendum est.

Altera digressio pars. De vocum significatione.

Primum autem explicare oportet, quid voces significant. Signum illud esse existimamus, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, in alterius cognitionem deducit. Sic. n. sanctus Aug. definit in 2. lib. de doctrina Christiana cap. 1. & in Dial. cap. 5. quemadmodum vestigio vilo aut fumo, transisse animal, aut subesse ignem cogitamus; significatque nil aliud est, quàm in alterius cognitionem deducere. Sed hoc commune est voci cum omni effectu. Vt n. effectus ducit in cognitionem causæ, à qua oritur; sic animalis vox indicat animal, à quo formatur; propter necessariam scilicet causæ & effectus connexionem. Significat autem animal illud viuere, quia nisi à viuente formari non potest. Deinde quòdnam sit illud animal: nec modo in specie, sed & in individuo: quippe ex voce cognoscimus an sit homo, an equus, an canis, & an sit hic, an ille. Tum etiam sentientis animæ effectus, iram, gaudium, dolorem. Hi enim excitantur in corde, aut certè non sine aliqua circa cor mutatione: voxque sit ex allissione aëris, qui ad locum circa cor inspiratur, & idè alia, atque alia cordis dispositio aliam atque aliam aëris allisionem vocis formationem adfert. Necessarium tamen non est, ut animal, dum vocem profert, intendat alteri affectum suum significare. Quoniam persæpè fit, ut affectu cogente nulloque alio præsentem edatur: quæ tamen affectus illius signum est, quòd apta sit eum significare; & si quod aliud adesset animal, illi nimirum significaret: quemadmodum fumus ignis semper est signum, quia ex eo nascitur, eumque ut effectus causam est aptus significare.

Cæterum quoniam humana vox non à sentiente appetitu dirigitur, sed à mente, vti aliquam habet notionem; siquidem propter politicam communicationem